



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1562 usque ad annum 1563

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1771

VD18 9011860X

§. 50. Cæsaris epistola ad Mantuanum Cardinalem, ceterosque Papæ Legatos.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66641)

Sæcul. XVI.
A.C. 1562. „Præsules huic magis, quam alteri sen-
 „tentiæ suffragentur, sed unice moli-
 „mina, & artes, quibus hominum ani-
 „mis, ac persuasionibus vis quædam
 „afferri videtur, aversetur, atque con-
 „tentiones, & verborum amarulentiam
 „inter ipsos natam, quæ Concilii Gene-
 „ralis dignitati parum respondent, re-
 „probat, neque sese opponit residentia
 „determinationi, sed suadet potius, ut
 „nimium fervorem, quo excefferunt,
 „dimittant, neque enim dubitat, quin
 „tunc, ubi animis plene mitigatis dun-
 „taxat divini Numinis cultum, & Ec-
 „clesiæ bonum respexerint, argumen-
 „tum illud maximo cum fructu possit
 „pertractari.

Eadem ferme communi nomine ad
 ceteros perscripsit Legatos, illoshorta-
 tus, ut Concilii sub Julio III. celebrati
 vestigiis insistentes, illo ævo agitata,
 & digestas quæstiones recolerent, ac
 Synodo finem imposituri decreta desu-
 per conficerent.

§. L.

*Cæsaris epistola ad Mantuanum Car-
 dinalem, ceterosque Papæ
 Legatos.*

*Pallav. c. 5.
 n. 1. & 3.*

Postquam Pontifex Mantuano Cardi-
 nali Tridento recedendi veniam sat
 officio-

officiose denegaverat, hic idem Legatus Sæcul. XVI.
A.C. 1562.
 multis cumulabatur honoribus, ac præ-
 primis ipsemet Cæsar prius cum Ar-
 chiepiscopo Pragenfi collocutus eundem
 hunc Cardinalem datis literis hortaba-
 tur, quatenus a cœpto tam pio opere,
 uti tamen fama sparsisset, nequaquam
 desisteret, „nam etiam ego, prosequen-
 „batur Cæsar, me tibi obstrictum profi-
 „teor, si sprete invidia, ac tædio, cui ex-
 „positus hucusque fuisti, nihilominus te
 „vinci haud quaquam patiaris; „ Ea-
 dem ferme Imperator ad Delphinum
 Nuntium scripserat, atque idem suis O-
 ratoribus Tridenti agentibus nuntiabat,
 nec minus redeunte Pragenfi Archi-
 episcopo epistolam admodum brevem
 ad Cardinalem Osium, magis vero pro-
 lixam ad alios Legatos dedit, in utraque
 autem de postulatis nuper a se propolitis
 mentionem fecerat: horum enim incom-
 moda idem Osius Cæsari exposuerat.
 Ceterum Cæsareæ epistolæ summa duo
 rerum capita complectebatur: primo
 enim rationem reddebat, cur hosce arti-
 culos ab Oratoribus exhiberi jussisset;
 secundo denique totum hoc negotium
 Synodi Præsidum prudentiæ, atque ar-
 bitrio relinquebat. (*) §. LI.

(*) Ecce! quam diversam agendi rationem
 tenuerit Christianissimus juxta, ac Augustissi-
 mus Imperator Ferdinandus.